

Te (quod omnium præstantissimum fuit) ecclesiæ suæ summum  
Pastorem, Te maximum catholicorum principem Christus no-  
bis donauit: ut ex pontificis præstantia, quanta sit cunctarum re-  
rum domi, forisque hac ætate perturbatio, cognoscatur. Aduer-  
sus enim maius bellum, maior semper eligitur Imperator. At non  
propterea cessat hominum inimicus diabolus, quin omni conatu  
ecclesiæ principes, ueritatisque defensores retundere, reiçereq.  
non nitatur, & præ ceteris illos, quos primas in tuenda catholica  
religione (cuiusmodi est. D. Hieronymus) partes tenere cogno-  
scit: quod, ut facilius assequatur, arma, quibus ipse cæditur, pro-  
fligaturque, e manibus illis decutere, ac deicere conatur: Arma  
autem uoco eorum libros, quibus ueluti telis quibusdam hic ho-  
stis configitur: Hæc autem, cum auferre nequeat, ueluti rubigi-  
ne quadam uitiat, corrumpitque: Tantoque flagitio perpetran-  
do ministros adhibet præcipue hæreticos. Nam & si multa tem-  
porum iniuria, multa etiam librariorum, in impressorumque incu-  
ria, & imperitia uitientur, nihil tamen magis noxiū est, quam  
quod ab hæreticis corrumpitur: quippe cum illi mutēt plurimum  
ea, quæ ad religionis ueritatem non specent, at hæretici numiquā  
fere nisi quod pertinet ad dogma. Hæc lues grassata est per om-  
nes ecclesiæ doctores, magno cum catholicorum hominum de-  
trimento: Hieronymum tamen eo magis infecit, quod is præ do-  
ctrinæ magnitudine, eruditionis splendore, linguarumque uarie-  
tate, non facile ab omnibus intelligi potuerit. Ignorantia enim  
corruptionis est causa: Dum enim quisque quod non intelligit ad  
libitum mutat, uitium scripturæ, quod tollere se putat, introducit.  
Correximus ea ex causa superioribus annis Pij Quarti Pontificis  
Maximi prædecessoris tui iussu, tres primos Hieronymi tomos:  
additis etiam scholijs, quibus uel obscura quæque declararentur,  
uel locoru emendationes, Bataui deliramentis confutatis, defende-  
rentur. Is labor, quia uisus est non inutilis, sanctitatis tuæ mandato,  
& Illustrissimi Cardinalis Ioannis Moroni precibus & beneficen-  
tia, quod reliquum est Hieronymi, illius uidelicet commenta-  
rios, nuper emendauiimus. Qua in re quid præstiterimus, alio-  
rum postea erit iudicium: Nos certe (ut ingenue fateamur) labo-  
res perpesi sumus maximos: quippe cum ne una quidem syllaba

sine